





7639.

1729, 10  
Q. D. B. V.

12

DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS

SISTENS

Q V A E S T I O N E S  
QVASDAM ILLVSTRES  
TAM IN FORO  
QVAM CATHEDRA DIVEXATAS.

QVAM

CONSENTIENTE

ILLVSTRI JCTORVM ORDINE  
S V B P RÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, SACR. PALAT. CÆS. COMIT. JVRID. FACVLT. ASSESSORIS ET COD.  
PROF. PVBL. ORD. CIVITAT. STNDIC. ET CONSVL.

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI


DEFENDENDAM SVSCPIET

ANTHONIVS VOLCKMARVS  
SCHVCHARTVS,

ADVOCATVS,  
*Ganderslebie Thuring.*

DIE XXI. OCTOBRIS, MDCC XXIX.

ERFORDIAE,  
Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Q. D. B. V.

## QVÆSTIO I.

An preces primariæ sacratissimi Imperato-  
ris ex parte Precistæ sint cef-  
sibiles?

§. I.



Acræ Cæsareæ Majestati Jus prima-  
riarum precum, cum quibus vul-  
go die sogenannten Panis-Brieße  
male confunduntur, ita compete-  
re, ut in Episcopatibus, subiectisvè  
Capitulis, vel Monasteriis Im-  
periï tam mediatis quam imme-  
diatis personam idoneam ad beneficium ecclesiasticum  
primo vacaturum præsentare queat, neminem fore,  
confidimus, qui facile vocet indubium.

A 2

§. II.

## §. II.

Non minus liquidum esse existimo, hodie ab Imperatore eiusmodi Jus ex proprio Jure citraindultum Pontificis ita exerceri posse, ut precista, intra mensem à die notitiæ, præbendam esse vacantem, Capitulo preces suas exhibens ab eodem recipi debeat, sive beneficium in mense Papali, sive capitulari vacaverit, postquam scil. illud jus eidem per Pacem Westphalicam Art. V. §. 18. expresse fuit confirmatum, prout contra cuiusdam CONRADI OLIGENII s. potius JUSTI FONTANINI principia satis perspicue docteque ostensum legimus apud L. B. de LYNCKER, CORTREJUM atque GRIEBNERUM.

## §. III.

Pari modo extra controversiam hodienum esse puto, ut in Capitulis protestantium sive mediatis sive immediatis, modo dictæ preces Cæsareæ obtineant, ita quidem, ut in his in quibus Cæsar olim illas exercuit eas indistincte, in illis vero quatenus in termino critico Kalend. Januarii 1624. in eiusdem possessione fuerit, habita tamen in utrisque religionis ratione, exercere queat. Idem quoque Jus in Capitulis sexus sequoris AVGVSTAM ex indultu Imp. exercere, usus & obseruantia comprobatur.

## §. IV.

Sed hoc ab omni dubio non vacat, utrum precista impetratos à Cæsare preces per cessionem in tertium valide transferre queat?

Affirmativam sequuntur fere plerique Juris publici Doctores, quos inter HERMESIUM fasc. J. P. Cap. XI. qv. 52. n. 61. AHASV. FRITSCHIUM de Imper. prim. prec. Ju-

re

*re qu. 4. n. 18. STRYCKIUM de expectantia Cap. 5. n. 42.  
sequ. BÖHMERUM de Jur. Eccl. protest. L. 3. T. 8. §. 20.  
SCHRÖTHERUM Diff. de Jure Prim. prec. Jenæ 1669. habita  
C. 1. §. 12. inf. STRUVIUM Jur. publ. prud. Cap. 10. §. 19.  
inf. nominasse sufficit.*

## §. V.

Verum enim vero huic thesi haud levia obstant dubia; Primo enim repugnare videtur ejusmodi cesso precum, ipsi naturæ & indoli earundem; siquidem preces extra dubium ad modos conferendi beneficia extraordinarios referuntur DN. BÖHMER de *Jure eccl. protest.* L. 3. T. 5. §. 99. ac ita sunt comparatae, ut præjudicium quoddam ordinariorum collatorum, quibus de jure suo aliquid decedit, conjunctum habeant, adeo ut magis pro talibus, quæ sunt juris odiosi, quam favorabilis habeantur, ac per consequens restringi potius quam per cessionem de persona in personam extendi debeant. *Cap. oda de R. J. in 6to. Secundo:* quod proprietate Rescriptorum expectantiae in certam quandam personam de beneficio quodam proxime vacatuero directorum gaudere videantur, per ea quæ docet ESPE NIUS *Jur. eccles. univers. P. 2. Tit. 25. §. 22.* Imo privilegium quoddam personæ in se contineant. Jam vero Rescripta ad certam personam directa & jura inde quæsita, illam personam in Rescripto nominatam transgredi non possunt, adeoque nec validè cedi. BRUNNEM, *Confl. 152. no. 13.* ac de personali privilegio constat, illud intra personam stare, cum ea extingui & intercedere NIC. HERT de *transit. privileg. person. ad alios §. 1. Et 13.* Cum in omnibus causis id observetur, ut ubi per-

A 3

sonæ

sonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat per L. 68. ff. de R. I. junct. L. 196. ff. eod. Titl. & Cap. sane 9. X. de Privileg. Tertio. de illis quæ non sunt ad hæredes transmissibilia com- muniter prædicatur quod nec sint cessibilia TIRAT- QVELL de Retraictu lignag §. 26. ql. 1. n. 17. eo quod fa- cilius aliquid in successorem universalem transferatur quam particularem, qualis est cessionarius. FRANZK. L. I. Refol. 14. n. 7. p. 271. Quarto Præbendæ seu bene- ficia, quæ sunt objectum primariarum precum, sunt res extra commercium, de quibus precistæ tanquam privato nulla potest competere dispositio, ergo nec cesso.

## §. VI.

Sed quo minus affirmatiæ sententiæ accedamus; ex antea adductis dubitandi rationibus non convinci- mur. Neque enim (1.) expressæ vel consuetudo adest, qua primariarum precum cesso, in personam qualitatibus statutariis prædictam, præcistæ est prohibita; quin potius (2.) pro quolibet precista cedente præsumtio vo- luntatis Imperatoris concedentis toties in regula mi- litat, quoties in ipsis precibus cesso eidem non est in- terdicta. Jam verò (3.) facta cessionis interdictio (nam expressam in precibus deesse supponimus) eo minus præsumenda, quo magis preces Imperatoriaæ nil nisi gratiam, favorem & beneficium in se continent, qua- les principum concessiones juxta L. 3. ff. de Conflit. Princip. ex natura sua & indole ita sunt ampliandæ, ut intelligantur plenissimè haec tenus voluisse favere & consuluisse privilegiato, ut quovis modo concessâ gra- tiâ

tiâ vel privilegio uti queat ejusve effectu gaudere, non tantum in propriâ personâ, sed etiam per cessionem, quippe quæ sæpius privilegiato est expeditior & favorabilior SCHILTER Exerc. ad ff. 30. §. 69.

## §. VII.

Quemadmodum vero ex tacita & præsumta summi Imperatoris voluntate, quæ ex indole Precum collitur, cessionem ita subsistere diximus; ita multo minus de ejus validitate tunc dubitari potest, si de expressa invictissimi concedentis voluntate constet; Quales preces ab Imper. JOSEPHO gloriofissimæ memoriae Ao. 1707. die 2. Julii acceptas tulit L. B. de Huldenberg quas Rev. Capitulo SS. Simonis & Jude, quod Goslaria est, pro obtainendo Decanatu ibidem tunc temporis vacante exhibuit.

## §. VIII.

Rationibus vero dubitandi superiis in contrarium adductis facile responderi poterit. Primamenim quod attinet, non sequitur: Preces ex parte capituli quodammodo sunt odiosæ, Ergo cedi nequeunt; Neque per cessionem precium majus detrimentum vel præjudicium accrescit Capitulo, quam antea ex ipsis precibus habuit. Nec secundo sequitur: Preces se habent instar Rescripti vel privilegii personalis, ergo cedi non possunt; quasivero omnia jura ex rescriptis competentia, vel privilegia personalia, indistincte cessionis sunt expertia, etiamsi de intentione Principis rescribentis vel privilegium concedentis expressâ aut tacitâ aliter constet. Porro cum

mul-

multa competant, quæ morte alicujus finiuntur, de quibus tamen vivus valide disponit *tertia* dubitandi ratio per se corruit; ad *quartam* vero respondetur: A præbenda ipſa s. beneficio, ad preces non valere consequentiam; Deinde ex Cap. 4. X. de Renunciat. constat, ipsarum præbendarum & Canonicatum reſignationes in favorem tertii cum consensu superioris validè fieri posse; quidni ergo etiam, cesso precum Imperatoriarum in favorem tertii cum voluntate invictissimi concedentis expreffa vel tacitâ subsisteret, præfertim cum teste Dn. STRVVO in *Jur. publ. C. 10. §. 19.* precistis jus cedendi preces, ex eiusmodi more resignandi beneficia ecclesiastica competat.

### QVÆST. II.

Utrum postulatus administrator seu Episcopus Aug. Conf. addictus sui Antecessoris conjugi ad constituendum vel præstandum dotalitium in bonis ad Episcopatum pertinentibus, pro dote illatâ, & in Episcopatum versa teneatur?

#### §. I.

**D**otalitium jure feudali plane esse incognitum, sed moribus saltem inter nobiles fuisse introductum, ita ut mulier pro dote illatâ & in feudi utilitatem versa, jus ex feudo illud exigendi habeat, itemque in Principatibus & aliis feudis regalibus obtinere in tantum, ut eiusmodi dotalitii constitutio ad onera

onera ipsum Principatum affientia referatur, ex iis  
quæ tradit I T T E R V S de feud. Imper. Cap. 18. §. 11. Sed  
utrum idem de Episcopatibus sive feudis imperii ec-  
clesiasticam dignitatem annexam habentibus intuitu  
conjugis Episcopi seu postulati administratoris statu-  
endum sit, non adeo liquidum est.

## §. II.

Affirmativam qui tuentur, hâcce potissimum mo-  
ventur ratione: quod Episcopis Aug. Conf. uxores ha-  
bere, ac per consequens dotem accipere eamque in  
in Episcopatum convertere omnino liceat. Unde sta-  
tim ad dotalitii petitionem & exactionem ex parte  
uxoris jus, & ex parte mariti Imò successoris obliga-  
tio ad ejus tanquam oneris feudalnis præstationem na-  
sceretur. Cui sententiæ, si cum consensu Capituli ab  
Episcopo dos accepta & in rem Episcopatus versa sit,  
ad stipulari non dubitamus; At in casu deficientis con-  
sensus Capitularis, negantium Castris accedimus, vel  
hac unica moti ratione, quod dotalitium ex solis mo-  
ribus ad onera feudi, ad quorum præstationem succe-  
sor obstringitur, pertineat, atqui hi mores intuitu  
feudorum Imperii ecclesiasticorum sunt incogniti. Né-  
que licentia habendi uxorem Episcopis Protestantibus  
competens ipsam naturam feudorum ecclesiasticorum,  
quæ sine consensu Capituli nulli oneri subjici valent,  
quam quæ Imperio aut ex alia ratione naturali debent,  
immutare potuit; Atque ex hoc quoque fundamento  
neque Capitulum invitum ad consentiendum teneri  
arbitramur;

B

§. 3.

Sed eave existimes, eiusmodi coniugem postulati administratoris dotem sine consensu Capituli illatam & in utilitatem Episcopatus reverâ versam amittere; Ratio enim, quæ absolvit successorem à dotalitii constitutione, nullatenus impedit, illatæ & in rem Episcopatus versæ dotis à successore repetitionem, ad quam præstandam successor & Capitulum vel ex naturali quadam ratione omnino tenentur; Cum iniquissimum foret uxorem & dote carcere debere & dotalitiō, Episcopatum vero ejusve successorem cum danno viduae fieri locupletiorem, modo hæc, illationem rea-liter esse factam, ostendere possit, ad quod, sicut filiores sit, vel sola mariti confessio sufficiet, ita ut ad ipsius versionis probationem, ostensā ita sola illatione, secundum communem DD. traditionem, non teneatur. Vid. STRYCK de Success. ab intest. Differ. 4. §. 10. Ⓛ II.

### QVÆSTIO III.

An matrimonium cum avunculi vidua sit dispensabile?

**A**ffirmativam ut defendamus sequentibus ratio-nibus convincimur; quarum *Prima*, quod Jure Naturæ talismodi conjugium nullatenus sit prohibitum; teste GROTIUS de Jure B. Ⓛ P. C. 5. §. 14. & PUFFENDORF de J. N. Ⓛ Gent. L. 6. C. 1. §. 35. *Secunda*, quod neque jure divino revelato ullibi talis prohibitus expressis verbis ostendi possit. *Tertia*, quod à pro-

prohibito Conjugio cum patrui vidua *Lev. 18. v. 14. cap. 20. v. 21.* ad conjugii prohibitionem cum avunculi vidua eo minus valeat consequentia quo *quarto certius*, quod dicta sacrae scripture loca non gradus, sed personarum tantummodo ibi expressarum prohibitionem respiciant, de *LYNCKER in Analec. ad Struv. S. I. C. de Rit. Nupt. §. 38.* *STRYCK de Diff. Sponsal. Seç. 5. §. 20.* § 21. ac ita *quinto à prohibiti personā in lege positivā* divinā, ad prohibitionem ejusdem gradus toties validē concludi nequeat, quoties non alia quædam ratio moralis vel naturalis, (ut e. g. in linea recta in nuptiis cum avia) concurrat; Neque *sextō* in regulâ argumentum à paritate rationis in illis, quæ meri juris positivi sunt, cum à voluntate legislatoris simpliciter pendeant, procedat. EVERHARD *L. 13. top. legal. n. 12.* Nec porro *septimo* respectus parentelis ratione avunculi viduae quicquam operari valeat, quippe quæ extra nostram familiam existit, eiusmodique respectus per se neque moralis est, neque naturalis. Nec denique *octavo* generalis illa regula prohibitiva, quæ extat *Lev. 18. v. 6.* ne accedas ad carnem carnis tue, ultra parentum, liborum & fratribus coniugia, de quibus à *v. 7. usque 11. dict.* Cap. jure extendi queat.

## §. II.

Hac itaque hypothesi stante; cessare sc. heic prohibitionem divinam, per se fluit conjectarium; quod matrimonium cum avunculi vidua, contra prohibitionem, quæ super est, humanam, sit dispensabile; Idem, sententibus pluribus Collegii Jurid. e. g. JENENSI apud RICHTER *Dec. XI. n. 13. 17. §. 29. § P. 2. Cons. 16.*

B 2

n. 8.

n. 8. nec non apud L. B. de LYNCKER Dec. 343. & 842.  
GIESENSI apud B. NIC. HERT. Consil. 331. & nostrâ  
Facultate ERFFVRTHENSI quæ præterit. Mens. Sept.  
a. c. versus Günzrode novissime ita respondit.

## QVÆSTIO IV.

Utrum contra juramentum in litem ab actore  
præstandum vel præstatum ex parte Rei ad-  
mittatur probatio in contrarium?

### §. I.

**F**luctuantes circa hanc questionem prostane  
Doctorum Sententiae, quibusdam negativam,  
aliis vero affirmativam propugnantibus, quo-  
rum dissensus videri potest apud B. STRYCKIVM de  
Cautel. Juramentor. P. 3. Sect. 3. Cap. 3. n. 380. sqq. Nos  
posteriori distinguendo accedimus, ita quidem ut (1.)  
eiusmodi probatio non contra juramentum in litem  
affectionis, sed saltem veritatis, admittatur, (2) probatio-  
nes evidentes ex parte rei prostent; & quemadmo-  
dum satis superque hanc sententiam in L. II. & L.  
4. §. 3. ff. de Juram in litem: fundatam esse existima-  
mus, cum rectè Dn. LUDOVICI in doctr. ff. tit. de in-  
lit. jurand. §. 7. dictos textus non ad affectionis, sed ve-  
ritatis juramentum pertinere docuerit; deinde etiam  
juramentum in litem pro legali habeatur, contra quod  
contraria probatio non respuitur. CARPZ. P. 1. C. 15.  
d. 4. & in Processu Tit. 12. A. 4. n. 28. seq. ita novissimè  
juxta hæc principia inclutam nostram Facultatem  
Juri-

Juridicam Errf. Mens. Septembr. a. c. ad requisitionem illuſtr. Regim. Halberſtad. in cauſa Obriftin von Schlotheim contra Cammer-Herrn von Mahrenholz pronuniaſſe merminimus. Qnod autem non idem de juramento in litem affectionis statuamus, haec eſt ratio, partim quod contraria probatione per impossibile ostendi nequeat, quod jurans talem affectionem non habuerit; partim, quod per rejectionem probationis dolus rei, qui rem restituendam perdidit, vel deterioravit, eo magis coerceatur, poenamque, cuius speciem juramentum hoc in litem per ſe involvit, ſentiat.

### QVÆST. V.

Utrum ex literis Cambialibus quibus e. g. Lipsiae ſolutio Creditori certo die ſtylo Cambiali promissa, contra debitorem statuto tempore & loco non solventem, in loco domicilii, quo Jus & Processus Cambialis in uſu non eſt, Cambiali Processu cum effectu agi poſſit? An vero ſecundum Statuta domicilii executivè ſaltem contra ipsum experiendum ſit, tanquam ex simplici Chirographo?

#### §. I.

**Q**VÆSTIONIS hujus spinosæ membra primi ſententiam ajentem, posterioris vero negantem tuebiſimur. Statim vero appetet, quoad modum procedendi cambialem & executivum haud parum intercedere

dere discriminis, quod sicut in compendio exhibuit Dn. BARTH. in *Hodog. for. Cap. 4. §. 1.* ita inter alia hoc saltem brevitatis ergo adduxisse nobis sufficiat, quod in processu cambiali exceptio non numeratae pecuniae omnino exulet, cum illa è contrario in executivo processu contra simplex Chirographum cum privilegio oneris probandi translativo intra biennium locum obtineat. Fac ergo debitorem cambialem Lipsiae non soluisse, ita ut creditorem contra eundem e. g. Gothæ tanquam in loco domicilii, ubi jus cambiale non est introductum, ex Cambio experiri oportuerit, Reus vero literis cambialibus recognitis, exceptionem non numeratae pecuniae ibidem opposuerit, an audiendus sit, quaeritur? Id quod negandum existimamus; secundum hypothesin sententiae supra allegatae ajetis, quam defendantam suscepimus, idque nonsolum in illo casu obtinebit, si literis cambialibus clausula expresse adjecta: Ich unterwerffe mich dem Leipziger Wechsel-Recht aller Orthen, auch wo solches nicht eingeführet, sed etiam altero casu, si modo dicto clausula deficiat;

## §. II.

Rationes decidendi hæ sunt (1.) quod debitor cambium Lipsiae solvendum ceditori promiserit, ac per consequens Lipsia locus contractus sit. Jam vero (2) quotiescumque circa actum quendam jura loci contractus cum juribus domicilii seu fori, in quo Reus ex illo contractu convenitur, collidunt, toties ad locum Contractus & ibi vigentia jura est respiciendum, non solum circa actum ipsum, sed & circa ea, quæ ab ipso actu ejusvè natura & iridole dependent, eique tanquam

quam effectus necessarius & inseparabilis adhærent. MEV. ad. Jus Lube. quest. pralim. 4. n. 15. ibique alleg. DD. & text. Atqui cum Lipsie contra Cambium juxta jura cambialia ibi vigentia exceptio non numerata pecunia opponi nequeat. Ergo secundum hæc quoque Jura Gothæ tanquam in foro domicilii Rei conventi, pronunciari necesse est. Neque (3) causa est, cur dicas, quod hac ratione Judici fori Domicilii peregrina Jura domesticis legibus contraria obtruderentur, secundum quæ invitus judicare debeat, quod videretur iniquum. Nam respondet: Legem naturalem exigere, ut alios suo jure liberè uti patiamur, adeoque etiam ea, quæ ex illo jure validè à nostris subditis suscepta sunt, non evertamus, quin potius, quavis datâ occasione adjuvemus, prout sobrie ratiocinatur B. D N. TITIVS in *Jur. Priv. L. I. Cap. 10.* de *Constitu Statut.* §. 10. Hinc rectè C A S P. ZIGLER in *Dicast.* *Concl. XV.* §. 51. ejusmodi conventionem pro validâ pronunciat, qua partes inter se de omissione juris ordinarii convernerunt, seque alii juri submisserunt, quot toties factum esse censendum est, quoties quis in illo loco, ubi Jus Cambiale viget, per cambium ibidem solvendum alteri sese obligat.

## §. III.

Quod si porro ex eodem ZIGLERO cit. Tract. & loc. §. 49. §. 50, item Coclus. 13. §. 30 sequ., cum celeberr. HERTIO de *Coblio.* Leg. §. 70, nobis oppanas: In omnibus illis, quæ ad ordinationem processus judicialis pertinent, jura judicii attendenda esse; Respondemus negando suppositum, in praesenti casu paratissimam executionem cambialem, indeque inanentem exclusionem exceptionis non numerata pecunia formam & ordinationem processus spectare. Utique enim illa ad ipsum Contractum & merita causa pertinent; Imò ipsa executio cambialis, quæ ex jure per contractum formatu, pender, adeoque necessarium consecutivum & inseparabilis ejus effectus est, perinde ac jus ipsum ad contractum spectat, & juxia hujus leges fieri debet.

## §. IV.

Ex quo manifestam est, non sine causa Excellent. B. TITIVS

TIVM in Jur. privat. L. I. Cap. 10. §. 19. & 20. pupugisse HVB  
ERVM in posse. ad ff. de Leg. n. 7. quod hic exceptionem præscriptio  
nis ad valorem Contractus & ejus merita non per  
tineat, sed saltē Processum spectare. atque in proposito  
caſu recte ſecundum jura loci, ubi cauſa ventiſta pro Reo  
judicatum fuſſe existimaverit. Ad eundem quoque modum  
errasse B. DN. HERTIVM Tr. de Collis. Legum §. 69. animadver  
timus.

## QVÆSTIO VI.

An uxor putativa, ratione dotis mariſto putativo  
illata, privilegio tacita hypothecæ cum jure  
prælationis in bonis mariti gaudeat?

### §. I.

**A**ffirmativam ſequuntur JCTorum plurimi, quos inter  
MANТИCAM de tæc. & amb. Conv. L. II. It. 26. n. 20. seq.  
NEGVSANTIVM de pignor. p. 2. m. 4. n. 104 seq. & SCHÜ  
TZAVM in Comp. Lauterb. tit. in quib. cauf. pign. vel hypoth. tæc.  
Contr. p. 406. brevitatis studio allegaſſe ſufficit. Sed horum  
calculo non ſubſcribimus. Innititur enim pra dicta Senten  
tia illo per communem errorem ferè recepero principio,  
quod ſcil. putativo matrimonio omnia privilegia veri matrimonii in  
diſtincte ſint communia, id quod tamen falſom eſt. Nam ut  
omnes effectus, qui jure communi iſunt veris nuptiis, etiam  
putativis, ex parte illius Conjugis, qui in bona fide verſatur,  
in regulâ inefſe non negemus; tamen de illis, quæ ex jure  
saltē ſingulari, vel privilegio veris nuptiis tribuuntur, aliud di  
cendum eſſe existimamus, prout doctiss. JCTUS HERTIVS  
Commentation. de putat. matrimon. §. 37. more ſolido ſolide de  
dit evictum. Atqui veſt̄o jux tacita hypotheca cum prala  
tione ratione dotis illata vera & legitima uxori non jure  
communi, ſed ſingulari plane & ex privilegio competit. Er  
go illud citra expreſſam legis diſpoſitionem ad putativam  
dorem extendi nequit; Cum nec ob paritatis rationem aut  
iden-

idenditatem privilegia ad personas speciarum non expressas  
sint extensibilia. L. 14. sequ. ff. de LL. Cap. 7. 9. & 20. X. de privil.

## §. II.

Fac ergo concursum creditorum existere contra mari-  
tum putativum; in quam classem uxor ratione dotis sua  
putativa erit locanda? Recte classi quartae inter personali-  
ter privilegiatos ante Chirographarios eam ponendam esse  
statuisse credimus LAUTERBACHIVM Dissert. Academ. de privile-  
gio Credit. personali simplici §. 31. Textus satis perspicuos hac  
de re habemus in L. 74. ff. de Jur. dot. L. 22. §. f. ff. solut. matrim.  
& L. 17. §. 1. ff. de reb. autb. jud. possid. ad quos quidem illos,  
quoque qui contrarium sustinent, sed male & per errorem,  
provocare, in confictu disputatorio, si opus erit, demon-  
strabimus; mirantes interea, qui factum sit, ut pralaudatus  
SCHÜTZIVS in Compendio Lauterbachiano cit. loc. de verâ sententia  
autoris sui LAUTERBACHII ipse deflexerit.

## QVÆSTIO VII.

An in foris Saxonice Leuteratio, cuius pro-  
sequendæ terminum semel quis legitimè impe-  
travit, pro desertâ haberi possit, si, prorogatione  
factâ, leuterans alium terminum præfigi  
denuo non petierit?

## §. I.

**A**ffirmativam tuentur Practicorum Saxoniorum Patres  
BERLICHIVS P. 2. Dec. 211. & CARPZOVIVS in Proc. Tit. 17.  
n. 45. sqv. Sed horum rationes minus stringentes  
esse, adeoque Negativam veriorem esse existimamus non im-  
merito. Rationes decidendi si desideres, accipe seque-  
ntes. (1) Multiplicatio fatalium ac solennium tanquam  
res odiosa fine expressâ Legis dispositione non est sta-  
tuenda. (2) Formam actui à LL. præscriptam vel se-  
mel

C



mel rite à Leuterante obseruatam esse, sufficit. (3) Regula BERLICHII: quod in actu secundo eadem solennitas requiratur, que in actu primo, & licet mille siant prorogationes, in omnibus ac singulis tamen eadem forma obseruanda sit, ex propriâ BERLICHII confessione corruit, quando dicit: Quod porrogatio non faciat actum novum sed prorogatum in parili conditione ponat. Jam vero (4) si terminus prorogatus non est censendus pro novo, nec novâ formâ, nec novis solennibus nec fatalibus opus erit.


### QVÆSTIO VIII.

Utrum in casu *L. ult. C de fideicommiss. si legatum* corum paucioribus, quam quinque testibus relictum, legatarius ad probationem illius præcisè juramenti delatione opus habeat, an vero etiam probatio per testes fieri queat?

**R**espondemus Affirmando prius, negando posterius, quicquid etiam in contrarium deduxerit illustr. Dn. de WERNHER P. 3. Obs. 2. Ratio decidendi primaria ex integro contextu dict. *L. f. C. de fideicommiss.* appetat satis luculent, scil. pro formâ juramenti delationem ibidem requiri ab Imperat. à quâ recedi per aquipollens non potest. Hinc ex eadem ratione præstationem, ejusmodi juramento adeò necessariam esse cum Excell. Dn. GRIEBNERO in Princ. proc. L. 1. C. 4. Sec. 3. §. 2. ut nec heredi, cui juramentum ita delatum, defensio conscientia per probationem concedi queat.

### T A N T U M.





(x228 2285)

V①<sub>18</sub>

ULB Halle  
007 436 564

3





B.I.G.

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

1729,10  
Q. D. B. V.  
DISSESSATIO JVRIDICA INAVGVRALIS

SISTENS

Q V A E S T I O N E S  
QVASDAM ILLVSTRES  
TAM IN FORO  
QVAM CATHEDRA DIVEXATAS.

QVAM  
CONSENTIENTE  
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE  
SVB PRÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, SACR. PALAT. CÆS. COMIT. JVRID. FACVLT. ASSESSORIS ET COD.  
PROF. PVBL. ORD. CIVITAT. SNTDIC. ET CONSVL.

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
DEFENDENDAM SVSCIPIET

ANTHONIVS VOLCKMARVS  
SCHVCHARTVS,

ADVOCATVS,  
Gunderslebia Thuring.

DIE XXI. OCTOBRIS, MDCC XXIX.

ERFORDIÆ,  
Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

